

Stephan Scultetus Johannes Lubbertus

Disputatio Medica De Febris Putridis In Genere

Rostochii: Kilius, 1646

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730118932>

Druck Freier  Zugang



R. U. med. 1646.

Stephan Schülcher, Baer.

Johann Lübbert, Resp.

A

US
IN

RATIA


TETI,

RTUS

etis,

Typogr.

1096



XXXA

DISPUTATIO MEDICA

DE

FEBRIBUS
PUTRIDIS IN
GENERE,

Quam

DIVINA ADJUVANTE GRATIA

SUB PRESIDIO

STEPHANI SCHULTETI,

Med. Doct. ac P. P.

Publicè tuendam suscipiet

JOHANNES LUBBERTUS

ROSTOCHIENSIS.

Ad diem 6. Maji, horis consuetis,

In Auditorio Majori.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

1096

ANNO M. DC. XLVI,

DIETHELMUS

FEBRUARIUS
PATRIARCA
GENERA

BIVINA ADIUTRIX

ETERNALIS

JONAS

101702

101702

101702

THESIS I.



Ebris morbus frequentissimus, & quo major decumbentium pars extinguitur, formidabilis perpetuò fuit mortalibus, adeò ut Romani olim, quò vim ejus effugerent, templum & aram in Pallantio Divæ Febri extruxerint. Dicta putatur febris Latinis vel ab antiquo verbo februo, quod idem est, ac purgo, vel à Februis Romanorum festis Iusticis, quibus urbs à piaculis purgabatur, quemadmodum per febres salubres corpus sentina pravorum humorum expurgari creditur.

II. Vulgata est atq; in Scholis Medicorum notissima febrium divisio in *Ephemeras*, *Putridas* & *Hecticas*, quam doctrinæ causa retinemus; inprimis cum aptè respondere videatur triplici corporis nostri substantiæ, Hippocrati τὰ ἰχνοῦτα, ἐπιχόμενα & ὀρμῶντα aliis τὰ στερεὰ, ὑγρὰ, & πνευματώδη. Ephemera namq; vulgò adscribuntur spiritibus, Putridæ humoribus, Hecticæ solidis corporis partibus.

III. Nobis hoc loco agetur, de sola *Putrida in genere*, quæ est *intemperies calida totius corporis & cordis inprimis, ab humorum in vasis effervescencia orta*. Monemus autem in tempore nos heic excludere omne genus febrium malignarum, sive quis illas Putridis subjiciendas contendat, sive ad peculiarem classem rejiciat. *Subjectum febrium* totum quidem est corpus, cor tamen maximè omnium in febribus affici palàm est.

IV. Sed admodum intricata est hæc febrium doctrina culpâ potissimum recentiorum quorundam interpretum, qui cum ab antiquis prætermissa supplere vellent, infelici successu tot tantisq; dubiis rem involverunt, ut malè certè ab iis consultum sit discipulis. Illud quidem apud omnes in confesso est, humores calorem præter naturalem in partibus accendere ac proinde actualem humorum calorem febrilis intemperiei partium *causam esse continentem* & proximam: at in quonam caloris istius natura consistat, illud vel maximè controversum.

1

V. Putredinis nomen propter lectionem auctorum toleramus, si nomine putredinis *σύγκρισις* vel *ἔγκρισις* illa veterū intelligatur, quippe quibus humores non dicebantur putrere, sed incalescere, effervesce-
ρε, θερμαίνεσθαι, ἐκκρίεσθαι: at si quis strictam vocis Latinæ significationem morosè urgere voluerit, atq; inde rem æstimare, multa erunt, quæ probari non possunt.

VI. Humores enim in venis non putrescere satis compertum habetur. Putredo siquidem omnis tendit ad interitum, mixti, nec quod semel computruit, naturæ suæ postea restitui potest eo modo, quo humores in febribus salubribus ad laudabilem statum reducuntur. Ad hæc putredo semel excitata non sistit cursum, non recrudescit per paroxysmos, sed simul ac incepit, continua est, inq; partis corruptelam tandem terminatur. Quin & quæ in febrium vigore, earundemq; solutione excernuntur, non tam putredinem, quàm effervescentiam humorum ac fermentationis quendam modum arguunt.

VII. Verùm dum agitur de causis calorem illum inducentibus, fit quandoq; mentio putredinis alicujus extra vasa, cujus alia longè ratio est: illa namq; sicuti neganda non est, ita quoq; quoties occurrit, fieri facile potest, ut febris in corpore accendatur. In eo namq; casu vapores calidi copiosè è loco putredinis attolluntur, qui cum vel ob propriam naturam, vel multitudinem transpiratu resolvi nequeant, partes vicinas sua qualitate imbuunt, atq; hinc *σύγκρισις* humorum in vasis, ipsoq; corde sequitur. Accidit illud in febribus lentis, & quæ inflammationem certarum partium comitantur, in primis dum pus generatur, juxta *aph. 47. §. 2*. Atq; hæc putredo inter vulgatas caloris febrilis causas rectè computatur.

VIII. Secunda eq; frequentissima caloris causa & quæ cum reliquis ferè semper concurrat, est transpiratio & ventilatio corporis prohibita, quam parit partim pororum cutis constipatio eamq; insequens calidorum effluviarum retentio, partim vasorum atq; angustorum in corpore meatuum ex humorum crassitiè ac visciditate obstructio. Quippe ex iis, quæ in corpore nostro coquantur atq; apponuntur, excrementa fuliginosa ubertim generantur, quæ à sanguine secerni debent, ac per insensibilem perspirationem continenter excludi.

IX. Quotiescunq; itaq; pori cutis clauduntur & effluuium illud calidorum acriusq; vaporum sistitur, sive id fiat ab occurso aeris frigid,

di sive à causa quacumq; alia, conculcatus intus calor intenditur, facitq; humores, loquamur jam ita, putrescere. Atq; hoc facilius longè accedit, quando humores internum aliquod vitium ad putredinem obtinent.

X. Evidens quoq; vis calorem humoribus ac consequenter corpori febrim inducendi est in motu tam animi, quam corporis. Animi motus quam sit in mutando corporis statu efficax, ex affectibus, ira præcipuè, elucescit: In ira namq; primò succenditur calor in corde, posteaq; facili negotio cum sanguine & spiritu in universum corpus diffunditur. Neq; tamen quævis sanguinis per iram æstuatio febrim parit; sed tum demum cum ille ab optimo statu declinat & ad vitium jam antea dispositus est: unde in cacochymicis & faciliè & frequenter febrim accendit ira.

XI. Ita quoq; res sese habet in metu & tristitia, ubi propter concentrationem quandam sanguis accendi creditur: probabile tamen, id potius evenire ex motu sanguinis ac spirituum ob continuum & fixum cogitandi conatum. Sed omnia ista promovet *ἀδιαννευσία*, quæ confestim supervenit, & citra quam affectus febrim inducendæ non sufficiunt.

XII. Motus corporis seu labores alterationem efficiunt sanguinem agitando ac commovendo, cujus si eadem, quæ modò descripta est, fuerit conditio, & ad transpirandum ineptitudo, vel præterea à causa aliqua externa cutis spiracula obturentur, jam pronus in febrim lapsus est.

XIII. Quartò in hunc censum veniunt calida assumpta atq; extrinsecus corpus afficientia, ut aromatum, aliorumq; calidorum, vini item generosioris liberalior usus. Balnea quoq; huc pertinent & mora sub sole diuturnior, hisq; cognata plura quæ omnia eò promptiùs nocent, quò minus corpus liberè perspiraverit.

XIV. Deniq; nasci potest hoc febrium genus ex præcedente Ephemera, quam & longè facilius inducunt quædam ex modò dictis causis, quàm Putridam. Nascitur præterea ex contactu seu occurso *μιάσματι* alicujus ita affecti, ut humoribus putredinem inferre possit, sive illud in corpore lateat, producaturve, sive extrinsecus adveniat.

XV. Atq; hæ fuerunt *causa* febrium putridarum *remotiores*: magis *propinqua* atq; *antecedentes* sunt humores ita ex vitio aliquo coctio- nis, vel prævæ diætæ dispositi, ut proni sint in febrim, qui istis abundant,

sicuti thesi nona & sequentibus notavimus. Quæ causa est, cur alii, quando non benè coquunt, facilè febrì corripiantur, alii non item. Intelligimus autem humorum nomine massam sanguineam in sua latitudine, eamq; in vasis majoribus ultra jecur.

XVI. Sed notandum quoq; causas has locum præcipuè habere in prima febris invasione & ideò ad Continuas producendas sufficere. In Intermittentibus, paulò aliter se res habet: ibi namq; cum paroxysmo paroxysmus alius succedat, continuatam oportet dari exastuationis causam, quam esse vitiosam in organis coctionis, vicinisq; partibus *Διάθεσιν*, sive ea à bile sit, sive causis aliis, & *μιάσματι* aliquod post paroxysmum relictum, non ineptè asseverari putamus. Continuæ periodicæ mediæ quasi sunt inter continuas & Intermittentes, & hinc utriusque generis etiam participes.

XVII. *Differentia febrium putridarum* antequam percenseantur, id denuò inculcamus, spectari heic febres simpliciter dictas putridas, non verò malignas & pestilentes. In assignandis autem febrium speciebus tam variant auctores, quam febres ipsæ. Nobis probatur distributio febrium in primarias & symptomaticas: illas producit *σύνχαισις* humorum in vasis communibus, has inflammatio partium singularium.

XVIII. Febris primaria vel est continua, quæ ad *ἀνυπεξίαν* ante perfectam solutionem non pervenit, vel intermittens, quæ per paroxysmos recurrit, quibus quies & cessatio quædam interjicitur. Continua rursus vel *σύνχαισις*, in qua nulla à principio ad finem caloris remissio est, aut exacerbatio, vel *συνεχής* & periodica, ubi calor aliqua ex parte remittitur & rursus incrementum sumit. Quæ mutatio si typum hunc servat, dicitur alia quotidiana, alia tertiana, alia quartana continua.

XIX. Intermittentium tres vulgò species recensentur, quarum quotidiana, singulis diebus semel, tertiana tertio, quartana quarto quovis die redintegratur. Sed observatæ quoq; fuerunt quintana & sextana nec non per intervalla longiora recurrentes. Interim sciendum solius esse Medici determinare febris speciem: non enim omnes, qui quotidie ægrotant, quotidiana laborant, neq; tertiana, quibus tertio die febris interpolatur. Sunt autem febres intermittentes Septentrionalibus populis familiarissimæ, Meridiem versus rariores, & tandem circa Æquatorem nullæ.

XX. Ge-

4

XX. Generalis quoq; febrium divisio est in legitimas & nothas, in acutas & nõ acutas, in ordinatas atq; inordinatas seu vagas, pluresq; differentias alias, quarum aliæ quidem competunt febribus in universum, aliæ solis continuis, aliæ Intermittentibus, quas persequi non est hujus loci. Ita & consultò præterimus compositarum febrium differentias, quæ multæ sunt, sed maximam partem huc non pertinent, nisi ubi putrida cum putrida alia copulatur, ut fit intertiana duplici, Hemitritæo & aliis ejus generis.

XXI. Humores quidem etiam febres distinguunt, modò operadetur, ne humores naturales cum præter naturalibus confundantur, nec quos febris producit, pro febris causa accipiantur. Temperamentum quoq; corporis multum potest ad certam febris speciem, facitq; cur alii ad alias febres sint procliviores: Interim tamen non necessariò, qui diversis laborant febribus, diverso sunt temperamento: nam qui maximè biliosi videntur, quandoq; laborant quartana, multiq; ex vulgata sententia melancholici nunquam in vita sustinuerunt quartanam.

XXII. Quod attinet humores pravos, quibus in febribus corpus scatet, & qui per intermittentes singulis paroxysmis excernuntur, eos non necesse est ante morbum in corpore adfuisse cum tempore febris maxima ex parte generentur. Unde ex illis de corporis temperamento & dispositione ad certam febris speciem non poterit judicari.

XXIII. *Signa* febrium putridarum, quibus illæ tanquam per *diagnostica* cognoscuntur & unà à non putridis discernuntur, hoc ordine communiter proponuntur. Primum suppeditat ipsius caloris qualitas: febrium enim putridarum calor mordax est atq; acris, tactumq; ita ferè afficit, sicut fumus atq; acris effluvia oculos & nares, crescitq; calor, quò magis crescit febris. Atq; hoc signum ex eorum genere est, quæ propria & inseparabilia appellantur.

XXIV. Secundum signum est, quod febres putridæ incipiant sine causis procatarctis: à procatarctis enim incipere Ephemerarum est. At licet proprium hoc signum sit, non est tamen inseparabile. Tertium sumitur ex urinis, quæ heic aut crudæ sunt, aut non nisi obscuras coctionis notas exhibent modò non ex Ephemeris in Putridas fiat transitus. Hæc si divisim accipiantur, proprium constituent signum, si conjunctim inseparabile etiam: nulla enim datur febris putrida in qua non sit urina aut cruda aut parum cocta, adeò ut neutro horum in principio apparente tutò concludere liceat, non esse putridam.

XXV.

XXV. Quarto loco reponitur inter signa Putridarum cum horore vel rigore incipere, quod cum neq; Ephemeris neq; Hecticis competat fit, ut signum illud heic evadat proprium: ac inseparabile non est, cum in quadam Putridarum specie aliter fiat. Quintum est per paroxysmos, novasq; accessiones infestare, quod certarum specierum proprium, ac proinde non inseparabile signum est.

XXVI. Pertinet quoq; huc pulsus, cujus certæ quædam differentię vulgò his febribus tribuuntur, & si quæ sunt alia, quibus definita febrium species addiscitur. Aliarum namq; febrium alia sunt symptomata: Ita ex calore urente, siti magna atq; intolerabili καύσος seu febris ardens haud difficulter noscitur.

XXVII. Quæ quidem signa si in conspectu habeantur, & conjunctim considerentur, non poterit ignorari febris putrida, de qua eò minus dubitabis, quo magis afflictæ fuerit naturalis facultas, quod ex nausea, vomitu, appetitus dejectione aliisq; , quæ ad læsam facultatem naturalem sequuntur, accidentibus colligitur.

XXVIII. Quoad prognostica, non omnes febres putridæ vacant periculo: quapropter diligenter conferendæ erunt vires ad morbum ejusque causam, quò in examine si vires inferiores fuerint, spes est in ancipiti; contratio modo si se res habeat, salutem promittere non dubitabimus. Idem erit iudicium si prava & periculosa symptomata febrim comitentur. Continua quoq; , modò non in diversis subjectis instituitur comparatio, Intermittente periculosior censenda.

XXIX. Curaturus itaq; febres putridas omnè indicationum genus ob oculos habeas oportet, sicuti in γεννώσις & morbis cum sua causa conjunctis fieri solet. Facta itaq; artificiosa causarum resolutione, inchoando ab affectu præter naturam, illud postea in curatione febris primò erit expediendum, quod in ordine causarum erat ultimum. Seu ut paucis multa complectamur, ante omnia causæ evidentes, si quæ adsunt, tollendæ, & recta victus ratio, de qua in fine, constituenda.

XXX. Ratione causæ antecedentis, si quid sanguinis in corpore fuerit superflui, venæ sectione illud educendum; ceteri, qui hoc requirunt, vitiosi humores medicamento purgante evacuandi. Obstructiones, si quæ fuerint, referendæ & libera transpiratio omni ingenio procuranda.

XXXI. Partes vitiosos humores generantes bonosq; inquinantes naturæ

6

naturæ suæ restituendæ, & in eo vel maximè laborandum, ut vitiosa illa dispositio tollatur: ea namq; perseverante nec pravorum humorum generatio, nec febris cessat, frustra; purgantibus impugnatur morbus. Humores deniq; per morbum geniti, nisi natura insufficienter fecerit officium, evacuandi.

XXXII. Sed hæc dum aguntur, intemperies quoq; corporis & humorum corrigenda, putredo, seu effervescentia inhibenda, vires conservandæ, si debiliores extiterint, roborandæ, & deniq; symptomatum quæ urgent, diligens habenda ratio.

XXXIII. Verum cum hæc non indifferentè in quibusvis putridis agi debeant, uberior nonnullorum declaratio præmittenda. Quantum ad venæsectionem, adhibenda ea in febrium principio si sanguinis abundantia hoc præsidium exigit, nec aliud incommodum obstat: solius verò cacochymix causâ aut refrigerandi consilio sanguinem detrahere importunum. In universum autem sciendum de venæsectione, eam in Intermitentibus requiri rarius, in continuis non semper.

XXXIV. Purgationis nomine in genere notatur omnis evacuatio per alvum arte facta: at cum humores evacuandi duplices sint, alii ultra jecur in vasis majoribus, alii in primis viis, ita fit, ut duplex quoq; sit medicamentorum purgantium genus, quorum alia vias modò memoratas sine multa corporis agitatione expurgant, lenientia ob id dicta, alia verò propriè atq; in specie purgantia, quæ facultate pollent humores evocandi è remotioribus & regione ultra jecur.

XXXV. Lenientia inter initia conveniunt & propterea venæsectioni ferè semper præmittuntur, ut materia futuræ curationi obstitens in tempore submoveatur, sive id fiat per clysteres, sive lenientia per os assumpta, sive etiam per vomitum. At quamnam ex his viam potissimum eligere conveniat, sciri potest, si attendatur, ubi materia subsistat, & quo præcipuè vergat.

XXXVI. Tempus exhibendi hujus generis medicamenta commodissimum in Intermitentibus erit tempus intermissionis, & ἀπογεῖρας, in iis verò, quæ continuè affligunt cum aliqua tamen caloris variatione, hora remissionis, in reliquis, ubi vicissitudines illæ non dantur, eligendum tempus matutinum.

XXXVII. *Clysteres* pro hoc scopo emollientes esse oportet, qui parantur è *malva*, *violaria*, *parietaria*, *mercuriale*, *bordeo*, *saccharo ru-*

B

bro

bro vel melle rosato, & oleo communi aut violaceo, quibus commodè additur *casia*, *electuarium lenit.* s. *diacarbolicum*, aut si quæ alia convenire videbuntur.

XXXVIII. Quæ per gulam assumuntur, concinnari poterunt è *casia*, *manna*, *tamarindis*, *syrupo rosarum* & *violarum solutivo*, *elect. lenit.* s. & aliis, *cremore item tartari*, & quæ præterea ex tartaro in hunc usum hodiè parata habentur, redacta in formam pro lubitu Medici, aut agri palato aliam atq; aliam.

XXXIX. *Vomitiva*, quando materia viam sursum affectat, vel ventriculo & locis vicinis inhæret, in iis, qui ferre possunt, rectè propinantur incipientibus febribus; sæpe namq; vitiosorum succorum cel-luvies hoc pacto feliciter exturbatur, quæ nullo purgante vinci poterat, & febris ipsa non rarò inter initia tollitur.

XL. Conveniunt autem vomitoria lenioris ordinis è *semineraphani*, aut *anethi*, quæ si non sufficere videbuntur, accipi poterunt *radices aut folia asari*, vel *vitriolum album*, nec fortiora in certis casibus atq; individuis prohibentur, modò à perito artifice parata ac prudenter administrata fuerint.

XLI. At in purgatione, quæ ex ulteriore regione humores educit, decernenda cautè agendum, & oraculi loco, quod Galenus alicubi facit, habendum illud Hippocratis *aph. 22. s. 1. Coctia purgare oportet, non cruda, neq; per initia, nisi materia turgeat*. In coctis verò evacuandis si natura segnis fuerit, tunc hora motus naturæ moveat Medicus. *Quæ verò judicantur, & judicata sunt perfectè, ne moveo, neq; innovato sive purgantibus medicamentis, sive aliis irritamentis*, ut præcipit *aph. 20. s. 1.*

XLII. Crudi dicuntur humores in febribus, quousq; pravi bonis in venis admixti sunt, quæ res eorum separationem reddit difficilem. Et habent se humores crudi instar musti, quod nondum deferverit: At postquam ebullitione sublata separationi jam apti facti sunt, cocti nominantur: adeò ut hæc coctio Hippocratica nihil aliud sit, quam putridorum aut effervescentium humorum in meliorem & corpori minus noxium statum deductio, quem adepti secerni jam, atq; è corpore evacuari facilimè possunt.

XLIII. Qua effervescencia durante omnes urinæ partes, perinde ac in musto, confunduntur, cessante verò illa separantur à se invicem, subsidentibus aliis, aliis supernatantibus. Et proinde, nisi humores illi
ad

8

ad mediocritatem quandam, quam quidem recipere possunt, redacti fuerint, & à bono sanguine secreti, frustra ac potius cum ægri damno conabitur eos expurgare Medicus.

XLIV. Coctio ista solius quidem naturæ opus est, quæ si fortis fuerit, perfectionem desideratam humoribus inducit, utilem tamen hæc operam naturæ ars præstat convenientibus remediis eam vel roborando, vel excessus qualitatum coctionem impredientium temperando. *Medicamenta sunt, borrago, acetosa, viola, endivia, pluraq; alia.*

XLV. Verùm cum pro diversitate humorum requirantur non solum primis agentia qualitativis, sed & attenuantia atq; incidentia, quorum magnus est numerus, nec omnia omnibus conveniant, de iis in generali febrium curatione minùs commodè, rectius longè in specibus & particulari febrium descriptione agitur.

XLVI. Referuntur potius huc *præsidia* talia, quæ putredinem, vel *σύνκαυσιν* humorum emendant, quæ obstructions, si opus, submovent, & liberam corpori perspirationem præstant, quorum usus esse debet statim, nisi quid prohibeat, post primarum viarum evacuationem: in primis cum dentur, quæ simul pluribus scopis satisfaciunt & variis modis humorum vitia corrigunt. Ex horum numero sunt, ut è multis pauca exempli loco adducamus, *syrapus acetosus simplex, succus & syrupus citri, granatorum, acetosa, spiritus vitrioli*, quorum pleraq; vim habent simul aperiendi, putredini resistendi, intemperiem febrilem temperandi, & nonnulla etiam roborandi.

XLVII. Sciendum autem, quæ de cruditate & coctionem præcedentibus dicta fuerunt, spectare proprie febres continuas, & acutas: cum enim humores coquendos dicimus, eos intelligi constat, qui jam geniti atq; in vasis præsentés sunt. At in *Intermittentibus* cum continuo recens materia novis paroxysmis producendis subnascatur, eò præcipuè respiciendum, ut *dispositio illa & debilitas partu vitiosos humores generantis per alterantia idonea tollatur, & inquinamentum seu μίασμα in corpore relictum per sudorifera discutiatur.*

XLVIII. Ita in biliosis laborandum potius ut *διάθεσις χολοπιητική* in epate emendetur, quam æger purgantibus multis fatigetur: omnino namq; præstat humores vitiosos non generari, quam genitos evacuari. Facere huc poterunt multa in thesi proximè antecedente ad-

ducta, præterea *Oxyfacch. f. Syrupus de acetositate citri, de cichorio, endivia & conserve inde parata, tum & semina quatuor frigida ac hordeum.*

XLIV. Et cum plurimum in febribus juvent sudores, minusq; periculosè decumbant, quibus cutis frequenter madet, Medicus & in hoc rectè naturam imitatur ac sudorifera exhibet, quibus vel febris reliquæ discutiantur, vel causa humoribus labem imprimens præcidatur. Atq; omninò vix febris aliqua sine sudore rectè terminatur, & nemo febri citantium perfectam sanitatem sibi facile polliceatur, qui sudare non potest.

L. Adhibentur autem *sudorifera* in continuis post humorum coctionem & reliquis evacuationibus præmissis: cavendum namq; heic, ne ex commisso in sudoriferorum exhibitione errore febres in deteriorem conjiciantur statum. Et proinde quoq; abstinendum à sudoriferis, si crisis aliqua speretur per alvum, vomitum aut hæmorrhagiam naturam, ne contrario motu natura in opere suo turbetur. Virium quoq; ratio diligens heic habenda: efficax enim cum sit remedium, vires vel robustas, vel certè mediocres requiret. Calidi præcipuè & biliosi cautè tractandi, ne calidioribus sudoriferis lædantur.

LI. In Intermittentibus commodissimè sudare jubebitur æger vel in sine paroxysmi, vel ante paroxysmum: ita namq; inquinamentum illud ac *περίττωμα πηδωνίδες* à paroxysmo relictum, fermenti naturam referens, feliciter non rarò è corpore expellitur, quo superstitè continuo reliqui humores inquinantur, feruent, adeoq; novum paroxysmum inducunt.

LII. Materiam sudoriferorum suppeditant *cardus bened. & quæ ex eo parantur*, ita etiam *centaurium minus, tormentilla, Zedoaria, sal absinthii, rob sambuci, C. cervi, Lapi Bezoar, & plura præterea*; imò nisi febris magnitudo obstiterit, *theriaca & misbridatum.*

LIII. Tandem dum hæc aguntur, cum reliquis medicamentis misceri, vel iis interponi debent *roborantia*, quo nomine *Epatica & Cordialia* præcipuè intelligimus, quæ eò magis probantur, quò pluribus medendi scopis serviunt, qualia sunt: *rotula manus Christi perlata, morsuli de succo & corticibus citri, quæq; è ribium ac berborum succo parantur, conserva item rosarum & violarum.*

LIV. Per urinam etiam nonnunquam pars materiæ subducitur; ideoq; & illa post reliquas evacuationes quandoq; utiliter exhibentur,
si ma-

si materia isthuc vergere deprehendatur: inprimis si *diuretica* talia fuerint, quæ simul vim habent attenuandi ac vias obstructas referandi, cuiusmodi sunt: *capillus veneris, asparagus, agrimonia.*

LIV. Ultimò & externa quædam non raro opem tulisse notum est, quò pertinent non emplastra tantum, sed etiam carpo applicata, quæ inter vulgo celebrantur è telis aranearum, fuligine, ranunculo, aliisq; composita. De modo, quo hæc agant rogatus non falleris, si dixeris, talia vi sua specifica inquinamentum putredinale è foco revocatum extrahere, sicuti natura sponte sua nonnunquam simile quid agit, dum ulcusculis circa labia erumpentibus desinunt febres.

LVI. Aggredimur tandem *diætam*, quæ accurata satis in febribus requiritur, & sine qua parum aliis auxiliis proficitur: cum nullum remedium in effectum ritè deduci possit, cui victus ratio contraria resistit. Constat diæta non solo cibo & potu, sed aliis quoq; rebus non naturalibus dictis, cum omnibus vis insit virtutem custodiendi. Interim quia cibus & potus primò ac per se alimentum generant, fit, ut præcipuam quoq; diætæ partem sibi vendicent.

LVII. In cibo itaq; & potu non solum vires spectandæ sunt, quas victu conservare oportet, sed & permittentia ac prohibentia, semperq; videndum, an vires plus possint ad cibum indicandum, quam constitutio morbosa ad prohibendum. Quantò enim magis natura in causa morbifica oppugnanda occupata est, tantò minus cibo oneranda, quantò autem minus occupata est, tantò uberiores victum præbere licet. Tantò verò minus oppressa & occupata est natura, quanto status morbi est remotior, contra tantò magis opprimitur, quanto status & paroxysmus propinquior. Ideoq; etiam quò febris acutior eò tenuiore victu opus est, modò vires eò durare usq; ad statum possint: in febribus verò longioribus plenior victus convenit. Sicuti hoc docetur *aphor. 7. §. 9. 10. 11. sect. 1.* Consuetudinis tamen ratio habenda, & qui sani pleniore victu utebantur, iisdem & ægotantibus plenior concedendus, qua in te nostratibus multum indulgendum, cum experientia constet, tenuem atq; exquisitum victum eos magis lædere, quam paulò plenior. Juxta *aph. 5. §. 1.*

LVIII. Quoad materiam ciborum, veniunt in hunc censum præter *hordeata, juscula varia ex aqua cocta, vel cerevisia, carni item bubula & gallinæ, quibus modicum panis admiscetur, & quandoq; ovum additur.* Quin & *carnes* è nostrorum ægotantium diætâ subtrahi vix

possunt, præstat autem eligere quæ facilioris fuerint coctionis ac bene perspiraverint, cujus generis sunt *avicularum, badina, agrina, &c.* quæ si præterea *condiantur succo citri, limonum vel granatorum,* majori capientur cum fructu. Exhibetur autem cibus *ἀπυρεξίος* tempore in Intermit- tentibus, in Continuis rectius observatur consuetum mensæ tem- pus, nisi forsitan exacerbatio febrili alicui propria declinationis horam ex- spectare jubeat.

LIX. Potum cum avidius appetant febribus detenti, eoq; opus habeant, quam cibo, copiosiore, prudenter eum moderari oportet, tam ut siccitatem partium præter naturam avertamus, quam ne nimio po- tu gravata natura à coctione materiæ avocetur. In Continuis præci- pue ingravescens liberalius potum propinare licet, eumq; frigi- dum: In Intermittentibus verò in paroxysmo, quantum fieri potest, à potu abstinendum, in fine tamen declinationis, instante jam sudore po- tus conceditur, isq; calidus potius, quam frigidus; ita enim sudor pro- licietur facilius. Commodissimus autem febrientium *potus est aqua vel decoctum hordei, cervisia, serum lactis, quin & vinum ὀλιγοφύεον* non prohibetur in Intermittentibus, si longiores fuerint, atq; ægi vino afflue- ti; in Continuis vinum non facile dandum, nisi graves omninò causæ jusserint.

LX. Aer in febribus ad frigidum declinet, ita tamen, ut attractus inspiratione calorem quidem febrilem temperet, non verò nudo cor- poti occurrens poros claudat, vaporumq; discussionem & sudores in- habeat. Somnus summè est necessarius, is tamen modum excedere non debet. Alvus si segnior, clysteribus supra propositis vel glandibus solli- citanda. Inter animi affectus vitare oportet iram & tristitiam, jucundis potius rebus & colloquiis animus mulcendus, & spiritus exsuscitandi.

Corollaria à Resp. adjecta.

1. *An febris etiam cadat in bestias? A.*
2. *An vetula visum possint fascinare infantes? N.*
3. *An in decubitu dextri lateris melius coquat venter? N.*
4. *An præstet semel in die comedere liberaliter, quam bis parcius? N.*
5. *An elementa in se mutuo transmutentur? A.*
6. *An dentur influentia astrorum in hac inferiora? A.*
7. *An Iridis arcus fiat in nube? N.*
8. *An aqua è petris scaturiens sit saluberrima? N.*

Dni



DN. RESPONDENTI.

Qui putres febres LUBBERTE extinguis,
 & arctos
 Dissolvis nodos dubiorum; sedulus artis
 Excultor quod sis Medicæ, nec putida segnis
 Otia secleris demonstras: sydere fausto
 In tantis porro ut pergas conatibus opto,

Gratulatur

*Jochimus Stockman M. D. & P.
 Reip. Rost. patriæ Physicus;*

Putrida quid Febris, torrens præcordia, & artus
 Depascens miserè, qui discere percipit, hæc
 Lemmata doctæ legat: Præsens quin audiat ipse
 Temet Lubbertum, sequeris qui castra Hygieia
 Sedula, Perge: Deus semper tua cœpta secundet,
 Agro quo Febres, deducere corpore possis
 Et morbos alios, & Clothûs fila morari.
 Vive Valeq; diu! procul à Te Putrida Febris.

Wein werther Freund Lübbert / Ihr habt jetzt angefangen /
 Was Euch wird rühmlich seyn: Ihr werdet Lob erlangen:
 der Cous Vater selbst / Machaon und Galen /
 Auch Aesculap liebe Euch. Wer zweiffelt den zu sehn
 den

den Lorbeer-Kranz bey Euch? die *Fama* wird auferagen
zukünftig ewren Nahm. Ich weis nicht mehr zu sagen/
Als/ Fahret also fort: besuchet *Flora* Feld/
Und lernet was da sey der Mensch die kleine Welt.

Thomas Pancovius, Marchicus
Stud. Medic.

FEbres de cathedra doctis dispellere chartis
Et dare in aëreas pallida monstra fugas,
Est, *Lubberte*, artis. Non hâc vicêre palæstrâ
Musarum, & Phœbus fortis ad arma venit.
At majoris erit lecto depellere febres,
Hoc solùm poterunt vota jubere ratum.
In cathedra febres dum discussisse licebit,
Non poterunt castris Te domuisse suis.

Amico, Consalino, Contubernali,
gratificabatur hoc

Wilhelmus Schmidius,
Regiom. Præc.



den Lorbeerz. Kre
zukünftig ewre
Als/ Sahn
Und lerne

FEbres de
Et dare
Est, *Lubberte*
Musaru
At majoris en
Hoc sol
In cathedra
Non po

144

si materia isthuc vergere deprehendatur: in-
runt, quæ simul vim habent attenuandi ac vias
jussimodi sunt: *capillus veneris, asparagus, agrimo-*

LV. Ultimò & externa quædam non rarè
quò pertinent non emplastra tantum, sed etiã
inter vulgo celebrantur è telis aranearum, ful-
composita. De modo, quo hæc agant rogatus
lia vi sua specifica inquinamentum putredin-
trahere, sicuti natura sponte sua nonnunquam
ulcusculis circa labia erumpentibus desinunt si-

LVI. Aggredimur tandem *diætã*, quæ
requiritur, & sine qua parum aliis auxiliis præ-
medium in effectum ritè deduci possit, cui vi-
stet. Constat *diætã* non solo cibo & potu, sed
naturalibus dictis, cum omnibus vis insit virti-
rim quia *cibus* & potus primò ac per se alimen-
cipuam quoq; *diætæ* partem sibi vendicent.

LVII. In cibo itaq; & potu non solum vi-
victu conservare oportet, sed & permittentia a-
videndum, an vires plus possint ad cibum in-
tutio morbosa ad prohibendum. Quantò enim
morbifica oppugnanda occupata est, tantò mi-
tò autem minus occupata est, tantò uberior
Tantò verò minus oppressa & occupata est nat-
est remotior, contra tantò magis opprimitur
xyismus propinquior. Ideoq; etiã quò febr-
ctu opus est, modò vires eò durare usq; ad sta-
verò longioribus plenior victus convenit. Sic
8. 9. 10. 11. *sect. 1.* Consuetudinis tamen ratio hæc
ore victu utebantur, iisdem & ægotantibus pl-
in te nostratibus multum indulgendum, cum
nuem atq; exquisitum victum eos magis læde-
rem. Juxta *aph. s. f. 1.*

LVIII. Quoad materiam ciborum, v-
præter *hordeata, juscula varia ex aqua cocta, ve-*
bula & gallinacea, quibus modicum panis admi-
additur. Quin & carnes è nostrorum ægotant-

B 3

alia fue-
andi, cu-

notum est,
cata, quæ
lo, aliisq;
dixeris, ta-
catum ex-
it, dum,

n febribus
nullum re-
raria resi-
rebus non
adi. Inte-
fit, ut præ-


sunt, quas
semperq;
im consti-
a in causa
nda, quan-
bere licet.

tus morbi
& paro-
nuiore vi-
n febribus
r *aphor. 7.*

fani pleni-
ndus, qua
nset, te-
lò plenio-

e censum
is item bu-
doꝝ avum
trahi vix
possunt,

11



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 11